



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 85. Calvinistæ post Moncontoriensem cladem ubique victores.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1569. crimen incurrisset, gratia delicti fieret. Porro hoc decretum per universum regnum promulgatum, & ut ad externos ejus notitia perveniret, non solum Gallica, sed curantibus Lotharingiis etiam Latina, Germanica, Italica, Hispanica, & Anglica lingua evulgatum est: nihilominus Colinius hoc decretum flocci pendens nullatenus agendi rationem immutabat.

## §. LXXXV.

*Catholici post Moncontoriensem cladem ubique victores.*

Paulopost Archithalassius cum suo exercitu Vigennam venit, atque Andevagensis Ducem ad pugnam provocavit, cui variis in locis per crebras velitationes prolusum, tandem vero concurrente utroque exercitu Moncontori certamen initur, quo Calvinistæ penitus profligati, Catholici vero plenam de illis victoriam reportarunt.

Relata hac victoria paulopost Angericum cingebatur, cui obsidioni ipse Rex, ac Regina intererant, urbs vero post decem dierum inducias utrinque pactas præscriptis conditionibus se dedere cogebatur, ubi Rege, ac Regina oppidum ingredientibus, illius Præfectura Guttinerio Vicecomiti credebatur,



tur, relictis ad loci securitatem octo  
peditum centuriis.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1569.

Interea Principes Condæi, necnon Archithalassus cum quatuor, vel quinque suorum millibus sese Montgomerii copiis jungebant, atque universam Occidaniam inundantes, noctis beneficio, atque astu Nemausum interceperunt, ac edita ingenti clade Catholicos ferme omnes trucidarunt, cunctosque Canonicos, ceterosque Ecclesiasticos in Capituli puteum præcipites egerunt, adeo, ut ipsemet Nemausensis Episcopus Bernardus Delbenius ægre admodum furentium hæreticorum crudelitati fuga sese subducere posset: pari etiam sævitia Montbrunus, & Mirabelus in Alverniis tumultuabantur, alii vero vario insolentiæ, ac crudelitatis genere sævientes Belsiam, & Vastinium devastabant. Die etiam decima octava Novembris Aiguillonum in agro Agenensi ab iisdem hæreticis captum fuit, Montgommerius autem Bearniam vi occupavit, cujus milites Sancti Galactorii reliquias Lescaram translatas incenderunt, cineresque in aerem projecerunt: ut autem verbo cuncta absolvamus, Calvinistæ ubique sacrilega sui furoris monumenta, ac nefanda impietatis vestigia relinquebant.

Bb 4 §. LXXXVI.